Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 957
Quelle:
Copyright:

Codex:	Editio:
Larga ſed indiguis.	*Larga ſed indignis.*
Huic obiectioni tue.	*Hujus objectioni tuæ.*
Videbantur cui ſcriberet.	*Videbatur ſcriberet.*
Ut a doctioribus ſolum.	*Ut a doctoribus ſolum.*
Nec parum dedit indicii.	*Nec parum dedit iudicii.*

Praeterea tota περιχοπη: *Volo enim completo — in capite praeponi.* in Editis interjecta eſt inter verba: *ſimul agnoſcerent*, et: *te non ob aliam* &c. quam rectius cum Codice inde exemtam poſt verba: *facilius apprehendant*, collocabimus.

CCCCXIV.

U. 620 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 109. f. max. magnifice exaratus, Schematibus picturatis et minio illuſtris, quondam Monaſterii antiquiſſimi *Brzewnoviensis* O. S. B. in *Bohemia*, unde *J. Alex. Braſſicanus*, ut ſolebat, elicuit, a quo ad *Joh. Fabrum* Praeſulem noſtrum devolutus eſt, complectitur *Magnentii Rabani Mauri* laborioſiſſimum Opus II. Libris conſtans *de Laudibus S. Crucis*, quale *Vol.* I. P. 1. *col.* 1024. dedi. Abſunt in Exemplo praeſenti Παρεργα illa Poetica ibi indicata, ſtatimque fit initium a Figura *Ludovici* Imp. quam ejus *Expoſitio*, et tum *Prologus* excipit. Neſcio tamen, qui factum, ut haec omnia praecedat Figura Operis *nona* cum ſua Declaratione, quae tamen iterum ordine ſuo *fol.* 29. rite recurrit. Initium Verſuum Figurae I.

Rex Regum Dominus Mundum Dicione Gubernans &c.

Declarationis: *O Chriſte Salvator Rex Regum* &c. Integerrimus primum Codex amputatam ſibi improba forſice Figuram IV. et XV. dolet, ut videre eſt ad *fol.* 18. et 44. Lectionem non usque quaque laudem, licet ſint quaedam, quae editionem *Colon. Opp. omn.* 1626. T. I. emendent. Ita L. II. c. 27. p. 348. pro: *et nova omnia perficias*, rectius Noſter: *et nova omnia pacificas.*

CCCCXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. U. 533 Folior. 146. 4. per duas anguſtas columnas ſcriptus et rubricis diſtinctus Sequentia complectitur: I. *Incipit liber de libero arbitrio*, ſeu, ut in calce explicatur, *Anſelmi Cantuar. Archiep. de concordia Preſcientie Predeſtinacionis et gracie dei cum libero arbitrio.* Ita nempe: *De tribus illis queſtionibus in quibus dei preſcientie* &c. Ut in edit. *Pariſ.* 1721. p. 123.

f.